

15. *Objectio sexta.*—*Returquetur.*—Sexto, solet nobis objici, quia si Augustinus ita de auxilio efficaci sentiret, non diceret esse occultissimum mysterium, cur ex duobus vocatis unus suadeatur, et non alius, cur Deus hunc trahat, et illum non trahat, quia facile posset reddi ratio, quia iste vult et ille non vult: at vero Augustinus non ita respondet, sed raptus in admirationem, ad judicia Dei occulta negotium remittit, nobisque ne curiosius illa investigare velimus consultit, ut videre licet tract. 26 in Joan., de Spir. et litter., cap. 34, lib. de Prædest. Sanctor., cap. 6 et 8, et sæpe alibi. Ad hoc vero in superioribus responsum est, et nunc etiam dicimus optime novisse Augustinum, quod in hac arca Ecclesiæ, pro voluntate quisque vel palea, vel frumentum est, ut ipse dixit in lib. de vera Relig., cap. 7. Neque ignoravit, ex duobus vocatis unum credere, et alium non credere, quia ille vult, et iste non vult credere. Sic enim dicto cap. 6 de Prædest. Sanctor., referens verba Massiliensium: *Multi audiunt verbum veritatis, sed alii credunt, alii contradicunt; volunt ergo isti credere, nolunt autem illi,* respondet: *Quis hoc ignoret? quis hoc neget?* Et dicto lib. de de Spirit. et litter., cap. 33, eandem tractans quæstionem, primo sic respondet: *Primo igitur illud dicamus et videamus, utrum illi satisfaciatur quæstioni, quod liberum arbitrium naturaliter attributum a creatore animæ rationali, illa media vis est, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest. Et ideo nec istam voluntatem, qua credit Deo, dici potest homo habere quam non acceperit, quandoquidem vocante Deo surgit de libero arbitrio, utique a Deo adjuto.* Et ita in toto illo capite rationem illam prosequitur, quod unus fit reus, quia contemnit vocationem; alius justificatur, quia illam amplectitur.

16. Addit vero statim in cap. 34: *Hæc disputatio, si quæstioni illi solvenda sufficit, sufficiat.* Ubi illam non reprehendit, sed permittit judicari sufficientem, quod dicere potuit, vel quia ulterior investigatio et resolutio non pertinet ad fidem, sed ad illas subtiliores quæstiones de quibus dixit Cælestinus: *Sicut non est necesse adstruere, ita nec licet contemnere;* vel certe, quia in aliquo ordine ratio illa sufficiens est, utique in ordine executionis, ut nos explicamus, licet secundum ordinem prædestinationis quæstio maneat, cur huic Deus congruam præparaverit vocationem, et non illi. Et hæc est quæstio quam Augustinus admiratione dissolvit, et ad judicia Dei occulta

reservat. Et ideo dicto cap. 6 de Prædestinat. Sanctorum, post illam responsionem: *Quis hoc neget?* addit: *Sed cum aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas a Domino, videndum est utique quid veniat de misericordia ejus, quid de judicio.* Jam vero in superioribus ex doctrina ejusdem Augustini ostendimus præparari voluntatem a Domino per inspirationes et illuminationes, non per concursus, seu per physicam prædeterminationem. Et simili modo, in l. 2 de Peccator. merit. et remiss., cap. 5, dixit: *Cur istum illo, illum isto modo adjuvet, penes ipsum est, et æquitatis tam secretæ ratio, et excellentia potestatis.* Ac denique in cap. 14 de Dono persever., in mysterium divinæ prædestinationis revocat, quod his congrua suis mentibus verba vel signa, quibus moveantur ad fidem, offerantur, aliis vero non offerantur. Ergo propter hanc Augustini admirationem non est necessaria prædeterminatio: nihil ergo in doctrina Augustini invenimus, aut nobis hæcenus propositum est, ob quod illi possit talis sententia attribui, etiamsi defensores illius sententiæ, quod sit expresse Augustini frequentissime et asseveranter affirmant. Ideoque prudentem lectorem admoneamus ut non verborum exaggerationes, sed vim testimoniorum attentissime meditetur.

CAPUT XLIV.

QUID POST AUGUSTINUM PATRES LATINI DE GRATIA EFFICACI SENSERINT.

1. *Recensentur Patres Latini, qui de hac controversia scripserunt.*—Propono quæstionem de solis Patribus Latinis, quia in Græcis qui post Augustinum scripserunt, nihil in hæc causa dictum invenio, præter ea quæ ex illis, qui prope tempora Augustini fuerunt, in cap. 41 adduxi. Solum posset referri locus Damasceni, lib. 2 de Fide, cap. 29 et 30, et contra Manichæos, ubi prædefinitionem actuum liberorum negat, de quo satis in aliis locis dictum est. Alia vero, quæ in illo capite dicit, ut, *nihil boni fieri a nobis posse sine auxilio Dei, liberum tamen nobis esse Deum vocantem sequi,* et similia, valde generalia sunt.

2. *Primo, Prosper inter Latinos Augustino propinquissimus.*—Omissis ergo Græcis Patribus, inter Latinos Augustino propinquissimus fuit Prosper, gratiæ Dei et Augustinianæ doctrinæ acerrimus propugnator. Ille igitur, in lib. 2 de Vocat. gent., cap. 9, alias 26 et 27: *Gratia (inquit) Dei in omnibus justifica-*

tionibus principaliter præminet. Modum autem declarat, dicens, *suadendo exhortationibus,* et aliis externis motionibus quos recenset, quibus adjungit internas, dicens: *Dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, ac fidei affectionibus imbuendo.* Et hic terminat motiones prævenientis gratiæ, et statim subjungit: *Sed etiam voluntas hominis subjungitur ei, atque conjungitur,* scilicet, subjungitur prævenienti gratiæ, conjungitur adjuvanti seu cooperanti. Et addit de voluntate: *Quæ ad hoc prædictis est excitata prædiis, ut divino in se cooperetur operi.* Ubi ponderandum est, inter excitantia auxilia et consensum, nullum ponere auxilium prædeterminans, sed ipsi voluntati cooperanti divino operi tribuere, quod se conjungat prævenienti gratiæ Dei, de qua paulo post dicit: *Quæ opitulatio per innumeros modos, sive occultos, sive manifestos, omnibus adhibetur, et quod a multis refutatur, eorum est nequitia; quod autem a multis suscipitur, et gratia est divinæ, et voluntatis humanæ.* In quibus verbis imitatur Prosper Augustinum, ideoque eisdem modis ponderanda sunt, quibus similia in Augustino consideravimus, quos hic repetere necessarium non judico.

3. *Ejusdem Prosperi locus contra Collator. attente legendus.*—Est etiam attente legendus Prosper contra Collator. fere per totum, præsertim cap. 5, 8 et 16, ubi per illuminationes, inspirationes et bonos affectus declarat modum quo Deus prævenit et trahit voluntatem, et in eis ponit initium salutis, contra Semipelagianos, et post illas motiones immediate illis subjungit liberam cooperationem voluntatis humanæ ad consensum cum adjuvante gratia. Et in cap. 14 id late prosequitur, ubi verba illa notari possunt: *Quis perspicere aut enarrare possit, per quot affectus visitatio Dei animum ducat humanum, ut quæ fugiebat sequatur, quæ oderat diligat,* etc. Non ergo per physicam prædeterminationem, sed per internos affectus, illuminationes, ac motiones, declarat Prosper mirabiles mutationes quas per gratiam suam facit Deus in cordibus hominum. Et his modis adjungit statim factas esse conversiones Matthæi, Pauli, Zachæi, et boni latronis, de quo ait: *In latronis quoque justificatione, etiamsi nulla operantis gratiæ intelligerentur indicia, nonne cum omnibus credentibus etiam ipsum acciperemus attractum?* utique per illas illuminationes et affectiones, quibus Deus animum humanum visitat, quas nomine operantis gratiæ in his verbis intel-

lexit. Et in eodem capite expendo quod in fine dicit: *Cum Deus sit qui operatur omnia in omnibus, sive alios sic, alios sic attrahere velit, ad eum nemo nisi aliquo modo attractus venit.* Certe si attractio est prædeterminatio, non alios sic, alios sic, sed omnes sic, nec quemlibet aliquo modo, sed omnes uno modo attrahit; ergo modus ille alienus est a sensu Prosperi; modus autem tractionis per affectiones, in quibus ineffabilis varietas cernitur, est illi maxime consentaneus.

4. *Adhuc alius.*—Eandemque doctrinam indicat in cap. 26, dicens: *Bonam voluntatem, qua adhæretur Deo, nec negandum est hominis esse propriam, et confitendum est Deo inspirante conceptam.* Quid, quæso, aliud nos dicimus? Fortasse si aliquis nostrum id dixisset, tanquam Semipelagianus ab adversariis damnaretur. Denique in cap. 6 Responsion. ad Gallos, ita concluditur: *Prædestinationem autem Dei, sive ad bonum, sive ad malum, in hominibus operari ineptissime dicitur, ut ad utrumque homines quædam necessitas videatur impellere, cum in bonis voluntas sit intelligenda de gratia, in malis autem voluntas sine gratia;* quæ verba videntur adeo expressa, ut non videam quid amplius desiderari possit. Nam quod non prædeterminationis, sed prædestinationis nomen posuerit, nullum subterfugium præbet dictis auctoribus, cum ipsi dicant decretum ipsum, quo Deus prædestinat, seu efficaciter prædefinit talem actum, esse id quo vel immediate prædeterminatur voluntas, vel a quo prædeterminatio totam suam efficacitatem accipit, per quam in homine efficacissime operatur. Neque etiam hic possunt distinguere necessitatem compositam, vel divisam; nam Prosper evidenter loquitur de necessitate proveniente ex prædestinatione, quæ est necessitas composita, ut ipsi fatentur, et tamen ait ineptissime poni talem necessitatem, per quam prædestinatio impellat ad bonum vel malum, illud efficacissime in homine operando.

5. Non ignoro hæc eadem fere loca contra nos citari, quia in eis dicitur Deus *potenti et occulta virtute hominum corda convertere.* Nam cap. 26 contra Collator., de libero arbitrio ait Prosper: *Non a seipso, sed a creatore mutatur,* et ibidem: *Agit hoc occulta et potens gratia Dei;* et aliis locis dicit *gratiam esse creatricem bonæ voluntatis,* eamque in nobis generare, ut in epistola ad Ruffinum, et in Carmine de Ingratis, et alibi sæpe. Et specialiter ponderatur quod libri 4 de Vocat. gent., cap. ult., ubi quæstionem illam, cur ex duo-

bus æque reis, unum Deus justificet, et non alium, dicit esse impenetrabilem, et per liberi arbitrii velle et nolle, non solvi. Verumtamen propria verba non sunt contraria præcedentibus, et in sensu a Prospero intento verissima sunt. Dicitur enim homo non a seipso, sed a Creatore mutari, quia mutatio non incipit ab homine, nec ejus propria et principali virtute perficitur, quamvis non fiat sine ipso. Unde immediate post illa verba: *Sed a Creatore mutatur*, addit Prosper: *Ut quidquid in eo melius reficitur, nec sine illo sit qui sanatur, nec nisi ab illo sit qui medetur, cujus sumus nova creatura*, etc. Unde eadem ratione vocat gratiam genitricem et creatricem bonæ voluntatis, quia a Deo solo incipit, et sine ullo nostro merito, quamvis non fiat sine nostra determinatione libera quoad consensum, nec sine coefficientia physica quoad initium boni effectus, de quo initio loquebatur, cum dixit, *feri in nobis occulta et potenti gratia Dei*, sic enim ait: *Nec propria virtute ad initia salutis enititur, sed agit hoc occulta et potens gratia Dei, quæ, dimotis terrenarum opinionum et operum mortuorum favillis, torrem obruti cordis excavat, et desiderio veritatis inflamat, non ut invitum hominem subigat, sed ut subjectionis cupidum faciat, nec ut ignorantem trahat, sed ut intelligentem sequentemque præcedat*. Hæc est ergo potens et occulta gratia Dei, per quam Deus in nobis inchoat salutem, quamvis illam sine libera determinatione non perficiat. Ultima denique sententia de quæstione illa profunda et impenetrabili, eodem sensu a Prospero traditur, quo ab Augustino doceri supra diximus; et ipsemet Prosper exposuit, dicens: *Quia licet insit homini bonum velle vel nolle, tamen nisi donatum, non habet bonum velle*. Dicitur autem donatum, ratione vocationis congruæ, in qua, ut diximus, tota admiratio posita est.

6. *Secundo, Fulgentius et Petrus Diaconus.* — Post Prosperum, scripserunt eodem tempore in gratiæ defensionem, et juxta doctrinam Augustini, Fulgentius et Petrus Diaconus, in lib. de Incarnat. et Grat. Et præterea Fulgentius, lib. 4 ad Monimum, a cap. 14, et epist. 2, per plures sequentes; sed, sicut in illis nullum vestigium prædeterminationis physicae invenitur, ita neque aliquid habent quod specialiter in nostrum favorem afferri possit, præter argumentum negativum, quo sæpe usi sumus. Quia cum doctrinam D. Augustini late declarent et defendant, nullam mentionem faciunt auxilii physice prædeter-

minantis, nec per verba expressa, nec per æquivalentia, sed per auxilia prævenientia excitando, et per concomitantia adjuvando, totum negotium gratiæ et necessitatis ejus declarant. Ergo signum est non invenisse apud Augustinum tale auxilium, nec illum necessarium esse existimasse. Exemplum adhiberi potest in verbis Fulgentii, epistol. 6 ad Theodor., cap. 6, qui locus solet nobis objici, quia in eo docet superbos esse qui aliquid boni sibi tribuunt. Unde sic concludit: *Ut ergo quædam in deteriora non recidant, gratia ejus gubernat; ut quædam ad meliora conscendant, gratia ejus elevat; et ut in æternum permaneant, ipsa gratia vivificat et conservat*. Talia sunt testimonia quæ nobis objiciuntur, nos autem clamamus hanc esse doctrinam quam de gratia profitemur. Nam ibidem attingendo modum, *quomodo hæc bona non dat natura, sed gratia*, ait Fulgentius: *Sed ex benignitate divinae illuminationis acquiritur*. Sic ergo, non propter prædeterminationem, sed propter illuminationem et inspirationem divinam hæc omnia operatur in nobis Deus, et facit ut eadem cum illo cooperemur, et qui hoc modo recognoscit hæc omnia esse dona Dei, licet simul fateatur necessariam esse liberam hominis determinationem, non est superbus, sed cautus et fidelis.

7. *Tertio, Gregorius.* — Tertio, possumus simili modo uti Gregorii auctoritate, non quia de prædeterminante auxilio quicquam expresse docuerit, sed quia, nulla illius mentione habita, per auxilia excitantia declarat totum negotium prævenientis gratiæ, etiam efficaciæ, voluntatem hominis ad se trahentis et convertentis; sic lib. 18 Moral., cap. 22, alias 24, tractans verba illa: *Gratia Dei sum id quod sum*, addit: *Ex cujus aspiratione gratiæ, quia virtutum opera protinus in corde generantur, ut ex libero quoque arbitrio subsequatur actio, cui post hanc vitam retributio æterna respondeat, illico adjecit: Et gratia ejus in me vacua non fuit*. Ubi solum ponderamus tantum aspirationi gratiæ initium tribuere virtutum omnium, et per ipsam inferius dicere, *facere Deum in homine meritum quod remunerat*. Et optime eandem doctrinam de præveniente et subsequente gratia tractans, l. 23, c. 20, inter alia dicit: *Liberum arbitrium in bono formatur electis, cum eorum mens a terrenis desideriis gratia aspirante suspenditur*. Et iterum Pauli locum tractans, lib. 16, cap. 11, habet illam sententiam Gregorio dignam: *Si superna gratia nocentem non prævenit, nun-*

quam profecto inveniet, quem remuneret innocentem. Quam declarans subjungit: *Superna igitur pietas prius agit in nobis aliquid sine nobis, ut subsequente quoque nostro libero arbitrio, bonum quod appetimus agat nobiscum*. Ubi aperte declarat illud, quod Deus prius agit in nobis sine nobis, esse aliquem affectum excitantis gratiæ, quo jam aliquid boni appetimus, quod subsequente gratia libere facimus, nulla utique alia prædeterminatione interveniente. Et in confirmationem hujus doctrinæ exponit verba Pauli dicentis: *Non ego, quia non ex se, sed ex gratia operante: Et tamen* (inquit) *quia se esse aliquid cum gratia invenit, adjunxit: Sed gratia Dei mecum*. Non ergo in se gloriantur, qui se aliquid, nimirum ipsam liberam determinationem, cum gratia Dei facere profitentur. Imo addit: *Non enim diceret mecum, si cum præveniente gratia subsequens liberum arbitrium non haberet*, quod certe non haberet si gratia illa præveniens, etiam prædeterminans esset. Eandemque doctrinam repetit lib. 24, cap. 7, alias 12, ubi est etiam notanda illa sententia: *Quia præveniente divina gratia in operatione bona nostrum arbitrium sequitur, nosmetipsos liberare dicimus, qui liberanti nos Domino consentimus*. Non est ergo alienum a sententia Gregorii dicere hominem, vocatione præventum, determinare se cum divina gratia, nam hoc modo a malo se liberat.

8. *Quarto, Anselmus.* — Quarto, majori fiducia nostram sententiam tribuimus Anselmo, qui clarius quam cæteri principium illud, hujusque materiæ fundamentum, quod necessitas, etiamsi sit ex suppositione extrinseca, si sit omnino antecedens usum libertatis, illi est contraria, eumque destruit, declaravit in lib. de Concordia. Ex quo principio subintulit in secunda parte hujus operis, etiam aliqua præscita, et prædestinata non evenire ea necessitate, quæ præcedit rem et facit, sed ea quæ rem sequitur; et rationem subjungit, dicens: *Non enim ea Deus, quamvis prædestinet, facit voluntatem cogendo, aut voluntati resistendo, sed in sua illam potestate dimittendo*. In quibus verbis necesse est eum loqui de gratia efficaci præveniente, quia per eam facit Deus ea quæ prædestinat. Illa ergo gratia, ex Anselmi sententia, talis est, ut voluntatem in sua potestate dimittat; quomodo autem dimitteret illam in sua potestate, quæ de se indifferens est, si illam ad unum, et ad exercitium determinaret? Unde ideo dicit prædestinationem relinquere voluntatem in sua potestate, quia alias

inferret necessitatem antecedentem, quam dixerat contrariam esse libertati; at prædeterminatione physica infert necessitatem antecedentem, ut et probatum est, et adversarii non negant, Anselmi sententiam contra ejus verba interpretando, ut in secundo prolegom. ostendi. Et ne quis putet hoc esse contra Dei gratiam, unico verbo solvens objectiones quæ contra nos fieri solent, adjungit: *Quamvis autem sua voluntas utatur potestate, nihil tamen facit in bonis, quod Deus non faciat in bonis sua gratia, in malis non sua, sed ejusdem voluntatis culpa*. Et in p. 3, exponens modum quo Deus inducit voluntatem, inter alia dicit: *Adjuvat gratia liberum arbitrium, mitigando, aut penitus removendo vim tentationis impugnantis, aut augendo affectum ejusdem rectitudinis. Denique cum omnia subjaceant dispositioni Dei, quidquid contingit homini, quod adjuvat liberum arbitrium ad accipiendum, vel servandum hanc rectitudinem, suæ gratiæ imputandum est*. Et postea dicit corda humana ex se proferre inutiles cogitationes et noxias; illas vero, sine quibus ad salutem animæ non proficimus, nequaquam sine generis sui semine, et laboriosa cultura concipiunt, et germinant. Quod quidem cum ex Dei providentia fit modo apto et commodo suscipienti, tunc gratia est congrua, et effectum consequitur: hunc ergo modum, et non alium efficaciæ gratiæ Anselmus indicavit.

9. *Ejusdem Anselmi locus super Matth.* — *Objectio.* — *Solvitur.* — *Suppositio pro voluntate Dei de Pauli conversione.* — Huic concordat alius ejusdem Anselmi egregius locus super 6 cap. Matth., circa verba Orationis Dominicæ: *Fiat voluntas tua*, ubi duas in Deo distinguit voluntates: *Una est* (inquit) *miseri cordiæ, quæ non est cogens, neque aliquid libero arbitrio aufert, qua omnes homines vult salvos fieri, quod tamen in libera voluntate illorum positum est*. Et hanc distinguit a voluntate, quam dicit esse de effectibus rerum, et illam infra vocat voluntatem justitiæ, et priori voluntati dicit posse resisti, non posteriori. In citatis autem verbis solum pondero, ideo dicere Anselmum voluntatem misericordiæ non cogere voluntatem, quia relinquit in libera hominis potestate id quod vult, sentiens quidquid tollit indifferentiam voluntatis, cogere illam. Verbum autem *cogendi* ibi non sumitur in eo rigore, quo dicitur coactum id quod est omnino contra elicitem volitionem, sed eo modo quo repugnat naturali modo agendi voluntatis, qui est, habere suum velle in sua in-

differente potestate. Dicit forte aliquis illam voluntatem misericordiæ esse tantum antecedentem; nam ponit exemplum in voluntate, qua Deus vult omnes homines salvos fieri. Sed ut verum sit voluntatem misericordiæ sæpe esse antecedentem, et illam includere Anselmum, non tamen potest ad illam solam Anselmi sententia limitari; tum quia alias valde diminuta esset distinctio et tota doctrina, nec satis explicaret quomodo voluntas absoluta circa electos non cogeret illorum voluntates: tum maxime quia statim sibi objicit hoc modo: *In Paulo tamen videtur cogens voluntas Dei, sed non est, quia licet sit percussus, tamen voluntas erat libera, ut resisteret, si vellet.* Supponimus autem voluntatem Dei de conversione Pauli, et fuisse voluntatem misericordiæ, et non fuisse tantum antecedentem, seu conditionatam, sed beneplaciti, seu consequentem et absolutam, et tamen illi, utique ut operanti ad extra, affirmat Anselmus potuisse Paulum resistere; ergo plane dicit talem voluntatem Dei non prædeterminare physice voluntatem humanam, esto illam ita moveat, ut in effectu nunquam resistat.

10. *Alia objectio.* — *Respondetur.* — Objici vero solet ex eodem Anselmo, quod in eodem lib. de Concord., p. 3, non longe a principio, dicit: *Totum imputandum est gratiæ, quia neque volentis est, quod vult, neque currentis est, quod currit, sed totum est Dei.* Omnibus enim, excepto Deo solo, dicitur: *Quid habes, quod non accepisti?* Et infra dicit per illa verba: *Non est volentis, etc., non negare Paulum in voluntate, vel currente aliquid prodesse liberum arbitrium, sed significare non esse imputandum libero arbitrio, quod vult vel quod currit.* Respondemus in his omnibus loqui Anselmum in more Augustiniano, et in eodem sensu dicere totum esse gratiæ, non quia excludat propriam determinationem liberi arbitrii, sed quia gratia est quæ inchoat bonum opus, ad illum perficiendum adjuvat. Itaque verba Anselmi abunde hoc declarant, si integre referantur; sic enim ait: *Quamvis non omnibus det, quia cuius vult miseretur, et quem vult indurat; nulli tamen datur pro aliquo præcedenti merito, quoniam, quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Si autem voluntas, per liberum arbitrium servando quod accepit, meretur augmentum justitiæ, aut præmium aliquod, hæc omnia fructus sunt primæ gratiæ, et gratia pro gratia.* Et tunc addit: *Et ideo totum imputandum est gratiæ, ubi aperte loquitur non solum de prima conversione, sed etiam de fructibus justi-*

tæ, et ad omnia applicat verba Pauli: Non est volentis, etc., et solum dicit non imputari homini, quia sunt gratia pro gratia, id est, quia et per gratiam adjuvantem fiunt, et ducunt primam originem a gratia; sic ergo totum imputatur gratiæ, et in eodem sensu infra dicit, non imputari libero arbitrio, utique tanquam merenti principium et radicem talis boni. Alioqui paulo superius idem Anselmus, loquens de rectitudine, seu sanctitate voluntatis, dixerat: Sicut illam nullus accepit, nisi gratia præveniente, ita nullus eam servat, nisi eadem gratia subsequente. Nempe quamvis illa serretur per liberum arbitrium, non tamen est tantum imputandum libero arbitrio, quantum gratiæ, cum hæc rectitudo servatur. Non ergo absolute negare intendit imputandum esse libero arbitrio: sed non tantum quantum gratiæ, etc. Et rationem addit: *Quoniam illam liberum arbitrium, non nisi per gratiam prævenientem et subsequentem habet, et conservat.* Unde cum hanc reddidit tanquam adæquatam rationem, virtute excludit gratiam prædeterminantem, quæ longe diversa est a præveniente, ut ex aliis verbis Anselmi satis ostensum est, et pluribus aliis verbis idem Anselmus repetit, explicando *cooperationem liberi arbitrii cum gratia.* Eademque doctrinam habet ad Ephes. 2, ubi ratione gratiæ vocationis dicit omnia bona speciali modo gratiæ attribui. Et ita explicat verba Pauli: *Creati in operibus bonis, et alia quæ omitto, ne sim prolixior.*

11. *Quinto, Bernardus.* — Quinto, docet non minus aperte eandem sententiam Bernardus, in lib. de Grat. et liber. arbit., ubi, non longe a principio, necessitatem antecedentem dicit destruere libertatem, si non illam relinquat indifferentiam, ut possit, vel ad malum converti, consentiens appetitui aut malo spiritui suggerenti, vel ad bonum, gratiam sequens. Et infra de bono Angelo dicit libere permansisse propria voluntate, non aliqua extrinseca necessitate; unde ita concludit: *Manet ergo libertas voluntatis, ubi etiam fit captivitas mentis, tam in bonis, quam in malis, sed in bonis ordinatio. Tam integra quoque pro suo modo in creatura, quam in creatore, sed in creatore potentior; quæ verba sunt valde notanda, quia, in prioribus, ut clarum supponit Bernardus, voluntatem in malis supponi omnino indifferentem, et seipsam determinare, et affirmat eandem habere in bonis libertatem, licet per gratiam melius ordinetur. In posterioribus vero aperte sentit non magis prædeterminari ab alio voluntatem creatam quoad*

liberum actum, quam increatam, alias non videri quomodo vera sit æquiparatio quam in libertatis integritate facit Bernardus. Unde tacite et uno verbo occurrit objectioni, quod voluntas creata esset primum liberum; negat enim sequelam, dum addit: *Sed in creatore potentior.* Nam de ratione primi liberi est, non quod se possit determinare, ab alio non prædeterminatus, quod etiam habere debet secundum liberum, vel non erit liberum; sed ad rationem primi liberi, ulterius necesse est ut per se possit determinari sine dependentia ab alio, quod non habet secundum liberum. Item est de ratione primi liberi, quod ita sit liberum, ut ab alio non possit necessitari nec impediri, quominus determinetur quo velit: at secundum liberum, licet habeat connaturalem indifferentem potestatem, a superiori libero potest necessitari, tam ut velit, quam ut nolit vel non velit, quia pendet ab illo; et ideo licet voluntas creata imitetur divinam in integritate libertatis, divina habet semper potentior libertatem (ut sic dicam), et ideo in sola illa est libertas per se, et quasi in primo fonte, quod est esse primum liberum.

12. *Alius locus Bernardi.* — Est etiam insignis locus ejusdem Bernardi; distinguens enim illa tria, *cogitare, velle, et perficere, quæ Deus operatur in nobis*, adjungit: *Primum profecto sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos facit.* Unde iterum concludit: *A Deo ergo sine dubio fit nostræ salutis exordium, nec per nos utique, nec nobiscum, quia (ut inquit) in sancta cogitatione consistit, sub qua etiam motum prævium voluntatis, qui ex tali cogitatione sine libertate nascitur, comprehendit. Neque aliam præmotionem gratiæ, quæ a Deo sine nobis fiat, agnoscit. Nam iterum infra dicit: Sic autem ista cum libero arbitrio operatur, ut tantum illud in primo præveniat, in cæteris comitetur.* Ubi particula exclusiva *tantum*, attente consideranda est. Neque etiam inter illam præviam cogitationem et consensum, aliquam solips Dei præoperantem gratiam interponit, neque in ipso consensu aliquid a Deo putat fieri sine nobis, sed absolute dicit: *Verum consensus et opus, etsi non ex nobis, non jam tamen sine nobis. Ita (sicut infra subdit) quod a sola gratia ceptum est, pariter ab utroque perficitur.* Et infra: *Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere indivisio peragunt.* Multaque alia in hanc sententiam docet, quæ in eo videri possunt, et in superioribus sæpe sunt inculcata.

13. Quia vero in fine ita concludit: *Deus igitur auctor est meriti, qui et voluntatem applicat operi, et opus explicat voluntati*, eo ipso verbum *applicat*, per verbum *prædeterminat physice* explicandum censetur, nobisque objicitur, cum tamen evidenter ex toto contextu constet, ipsum loqui de modo applicationis, quo voluntas per cognitionem movetur et applicatur. Quod etiam in lib. de Interior. domo, cap. 68, idem Bernardus declaravit, usurpans sententiam illam libri de Ecclesiast. dogmatib.: *In nobis manet arbitrii libertas ad quærendam salutem, sed admonente prius Deo, et invitante ad salutem, vel ut diligamus, vel sequamur, potestatis nostræ est divinæ inspirationi acquiescere, et quæ ad salutem nostram pertinent, eligere et sequi.* Alia item ex eodem Bernardo in eodem lib. de Grat. et liber. arb., contra nos expendit Cumel.; sed generalia sunt, scilicet, gratiam prævenire hominem, et non tollere libertatem, et similia, quæ omnes dicimus, sed modum inquirimus, et hunc ostendimus explicasse Bernardum juxta doctrinam quam sequimur.

14. *Sexto, Richardus de Sancto Victore.* — *Illatio.* — Sexto, favet multum Richardus de Sancto Victore., tract. 1 de Stat. inter. homin., cap. 13, ubi rationem *libertatis* ita declarat: *Libertatis est, quod consensus ejus extorqueri vel cohiberi non potest. Potest enim consentire vel non consentire aspirationi divinæ, similiter et suggestioni diabolicæ. Utrumque quidem ex libertate, neutrum autem oportet ex necessitate.* In quibus verbis expendat imprimis lector an *prædeterminatio physica* extorqueat consensum, nam profecto id negari non potest; ergo, juxta prædicta verba, libertatem evacuat, eique repugnat. Deinde advertat comparisonem inter inspirationem Dei et suggestionem dæmonis. Item tacita illatio notanda est, nam ex eo quod divina inspiratio non extorquet consensum, tacite infert Richardus Deum non extorquere illum, alias nec probatio esset efficax, nec exemplum accommodatum; unde fit ut non aliam prævenientem Dei motionem agnoscat, præter inspirationem moraliter inducentem, sicut facit suggestio dæmonis, licet altiori modo et potentiori id faciat Deus, ut in superioribus vidimus. Denique expendo quod libertati opponit necessitatem etiam compositam, quæ ex antecedente necessitate possit provenire. Quæ omnia prædeterminationi physicæ plane contraria sunt. Præterea, lib. 3 de Contemplat., cap. 24: *Absque dubio (inquit) quidquid boni*